

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XXXV: Pro L. Cornelio Balbo

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



PRO L. CORNELIO P. 55.

BALBO.

*

ORATIO XXXV.



I auctoritates patronorum in iudicijs ualent, ab amplissimis uiris L. Cornelij causa defensa est: si usus, a peritissimis: si ingenia, ab eloquentissimis: si studia, ab amicissimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. Quae sunt igitur meae partes auctoritatis? tantae, quantam uos in me esse uoluistis; usus mediocris: ingenij, minime uoluntati parus. nam ceteris, a quibus est defensio, hunc debere plurimum uideo: ego, quantum ei debeam, alio loco ostendam. Principio orationis hoc oppono, me omnibus, qui amici fuerint saluti meae, & dignitati, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at praedicanda, & habenda certe satis esse facturum. Quae fuerit besterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia non opinione tacita uestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari uidebatur. Nihil enim umquam audiui, quod mihi de iure subtilius dici uideretur, nihil de memoria, de more, de exemplis acutius, nihil peritius de foederibus, nihil illustriore auctoritate de bellis, nihil de republica grauius, nihil de ipso, modestius, nihil de causa, & crimine ornatus: ut mihi iam uerum uideatur illud esse, quod nonnulli litterati. ac studijs doctri

doctrinisque dediti quasi quiddam incredibile dicere pu-
 tabantur, cum, qui omnes animo uirtutes penitus compre-
 hendisset, omnia, quae facere uellet, facillime tractare. Quae
 enim in L. Crasso potuit, homine nato ad dicendi singula-
 rem quandam facultatē si hanc causam ageret, maior esse
 uirtus, uarietas, copia, quam fuit in eo, qui tantum potuit
 impertire huic studio temporis, quantum ipse a pueritia,
 usque ad hanc aetatem a continuis bellis, & uictorijs con-
 quieuit? Quo mihi difficilior est hic extremus perorandi
 locus. Etenim ei succedo orationi, quae non praeteruicta sit
 aures uestras, sed in animis omnium penitus insederit: ut
 plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quam non
 modo ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis.
 Sed mos est gerendus non modo Cornelio, cuius ego uoluntati
 in eius periculis nullo modo deesse possum: sed etiam Cn.
 Pompeio, qui sui facti, sui iudicij, sui beneficij, uoluit me esse,
 ut apud eosdem uos, iudices, nuper in alia causa fuerim, &
 praedatorem, & auctorem. Ac mihi quidem hoc dignum
 reo uidetur, hoc debere huius excellentis uiri praestantissi-
 ma gloriae, hoc proprium esse uestri officij, hoc satis esse
 causa, ut, quod fecisse Cn. Pompeium constat, id omnes &
 licuisse concedant. Nam uerius nihil est, quam quod hester-
 no die dixit ipse, ita L. Corneliū de fortunis omnibus di-
 micare, ut nullius in delicti crimen uocaretur. Non enim
 furatus esse ciuitatem, non genus suum ementitus, non in
 aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepisse in cen-
 sum dicitur: unum obijcitur, natum esse Gadibus, quod ne-
 gat nemo, ceterum accusator fatetur, hunc in Hispania,
 durissimo bello, cum Q. Metello, cum C. Memmio, & in
 classe, & in exercitu fuisse; & ut Pompeius in Hispa-
 niam uenerit, Memmiumque habere quaestorem cape-
 ret,

rit, numquam a Memmio discessisse: Cartaginem esse pro-
 fectum: acerrimis illis praelijs, & maximis, Sucionensi, &
 Duriensi interfuisse: cum Pompeio ad exitum belli tem-
 pus fuisse. Hæc sunt praelia Cornelij, talis in temp. nostram P. 56.
 labor, assiduus, dimicatio, uirtus digna summo imperato-
 re, spes pro periculis præmiorum. præmia quidem ipsa non
 sunt in eius factis, qui adeptus est, sed in eius qui dedit. Do-
 natus igitur est ob eas causas a Cn. Pompeio ciuitate. id
 accusator non negat, sed reprehendit: ut in Cornelio causa
 ipsius probetur, pœna queratur: in Pompeio, causa lae-
 datur, pœna sit nulla, sic famam, sic innocentissimi hominis
 fortunas, præstantissimi imperatoris factum condemnari
 uolunt. ergo in iudicium caput Cornelij, factum Pompeij
 uocatur. Hunc enim in ea ciuitate, in qua sit natus, hone-
 stissimo loco natum esse concedis; & ab ineunte ætate, reli-
 ctis rebus suis omnibus, in nostris bellis, nostris cum imper-
 atoribus esse uersatum: nullius laboris, nullius obfessionis,
 nullius * praelij expertem fuisse. hæc sunt omnia cum plena
 laudis, tum propria Cornelij. nec in his rebus crimen est
 ullum. Vbi igitur est crimen? quod eum Pompeius ciuitate
 donauit. huiuscene crimen? minime: nisi honos ignominia
 *putanda est. cuius igitur? re uera nullius; actione accusa-
 toris, eius unius, qui donauit. qui, si adductus gratia minus
 idoneum hominem præmio affecisset; qui, etiam si uirum
 bonum, sed non ita meritum; si deniq; aliquid, quod non con-
 tra, ac liceret, factum diceretur, sed contra, atq; oporteret;
 tamen esset omnis eiusmodi mali reprehensio a uobis, iu-
 dices, repudianda. Nunc uero quid dicitur? quid ait accu-
 sator fecisse Pompeium, quod ei facere non liceret? quod
 grauius est, quam si id factum ab eo diceret, quod nõ oportet
 tenuisset. Est enim aliquid, quod non oporteat, etiam si licet:

quid quid uero non licet, certe non oportet. Hic ego nunc
 *cuncter sic agere, iudices, non esse fas dubitari, quum, quod
 P.B. Cn. Pompeium fecisse constet, id non solum decuisse, sed
 etiam debuisse fateamur? Quid enim abest huic homini?
 quod si adesset, iure hoc tribui, & concedi putarem?
 ususne rerum? qui pueritia tempus extremum, principium
 habuit bellorum, atque imperiorum maximorum? cuius ple-
 rique aequales minus saepe castra uiderunt, quam hic trium-
 phauit? qui tot habet triumphos, quot ora sunt: partesque
 terrarum? tot uictorias bellicas, quot sunt in rerum natura
 genera bellorum? an ingenium? cum etiam ipsi casus, euen-
 tusque rerum, non duces, sed comites eius consiliorum fue-
 rint: in quo uno ita summa fortuna cum summa uirtute
 certauit, ut omnium iudicio plus * homini, quam decet, tri-
 bueretur? an pudor, an integritas, an religio in eo, an dili-
 gentia unquam requisita est? quem provincia nostra,
 quem liberi populi, quem reges, quem externa gentes ca-
 stiores, moderatiores, sanctiores, non modo uiderunt,
 sed aut sperando unquam, aut optando cogitauerunt?
 Quid dicam de auctoritate, quae tanta est, quanta in his
 tantis uirtutibus, ac laudibus esse debet? Cui s. p. q. r.
 amplissima dignitatis praemia dedit non postulanti, impe-
 ria uero etiam recusanti: huius de facto, iudices, ita queri,
 ut id agatur, licueritne ei facere, quod fecit; an uero, non
 dicam non licuerit, sed nefas fuerit (contra foedus enim id
 est, contra populi Romae religionem, & fidem fecisse dici-
 tur) non turpe popul. Romano, nonne uobis? Audiuimus hoc de
 parente meo puer: cum Q. Metellus L. F. causam de pe-
 cunijs repetendis diceret, ille ille uir, cui patrie salus dul-
 cior, quam conspectus fuit, qui de ciuitate decedere, quam
 de sententia maluit: hoc igitur causam dicente, cum ipsius
 tab

tabula circumferrentur, inspiciendi nominis causa, fuisse
 iudicem ex illis equitibus Romanis grauissimis uiris ne-
 minem, quin remoueret oculos, & se totum auerteret, ne
 forte quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quis
 quam, uerum, an falsum esset, uideretur nos Cn. Pompeij
 decretum, iudicium de consilij sententia pronuntiatum re-
 cognoscemus? cum legibus conferemus? cum federibus,
 quorum acerbissima diligentia est, pertendemus? Athe-
 nis aiunt, cum quidam apud eos, qui sancte, grauiusq; ui-
 xisset, & testimonium publice dixisset, & (ut mos Græco-
 rum est) iurandi causa ad aras accederet, una uoce om-
 nes iudices, ne is iuraret, reclamasse. Cum Græci homines
 spectati uiri noluerint religione uideri potius, quam ueri-
 tate fidem esse constriictam: nos etiam in ipsa religione &
 legum, & federum conseruanda, qualis fuerit Cn. Pom-
 peius dubitabimus? utrum enim inscientem uultis contra
 fœdera fecisse an scientem? si scientem; o nomen nostri im-
 perij, o populi Rom. excellens dignitas; o Cn. Pompeij sic-
 late, longeque diffusa laus, ut eius gloria domicilium com-
 munitatis imperij sinibus terminetur. o nationes, urbes, po-
 puli, reges, tetrarchæ, tyranni, testes Cn. Pompeij non so-
 lum uirtutis in bello, sed etiam religionis in pace. nos deni-
 que muta regiones imploro, & sola terrarum ultimarum:
 uos maria, portus, insula, littoraque, quæ est enim ora, quæ
 sedes, qui locus, in quo non exstent huius cum fortitudi-
 nis, tum uero humanitatis, tum animi, tum consilij im-
 pressa uestigia? Hunc quisquam incredibili quadam, atque
 inauilita grauitate, uirtute, constantia præditum fœdera-
 scientem neglexisse, niolasse, rupisse, dicere audebit? Gra-
 tificatur mihi gestu accusator: inscientem Cn. Pompeium
 fecisse significat, quasi uero leuius sit, cum in tanta repub.

uersere, & maximis negotijs præsis, facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire quid liceat. * Etenim cum in Hispania bellum acerrimum, & maximum gesserat, quo iure Gaditana ciuitas esset, nesciebat? an, cuius linguam populi non nosset, interpretationem fœderis non tenebat? Id igitur quisquam Cn. Pompeium ignorasse dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo usu, nullo studio militari præditi, quod librarioli denique scire profiteantur? Equidem contra existimo, iudices, cum in omni genere, ac uarietate artium, etiam illarum, quæ sine summo otio non facile discuntur, Cn. Pompeius excellat, singularem quandam laudem eius, & præstabilem esse scientiam in fœderibus, pactiõibus, conditionibus populorum, regum, exterarum nationum, in uniuerso deniq; belli iure, ac pacis. nisi forte, quæ nos libri docent in umbra, & otio, ea Cn. Pompeium, neque, cum requiesceret, litteræ; neque, cum rem gereret, res ipsæ docere potuerunt. * Atq; ut ego sentio, iudices, causa dicta est temporis magis. ego non huius, inquam, genere iudicij plura dicam. est enim huius seculi labe quadam, & macula, uirtuti inuidere; uelle ipsum florem dignitatis infringere. Etenim, si Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuisset, is uir, a quo senatus adolescentulo, atq; equite Romano sæpe communis salutis auxilium expetisset: cuius res gestæ omnes gentes cum clarissima uictoria terra, marique peragrassent: cuius tres triumpho testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri: quem populus Romanus singularibus honoribus decorasset: si nunc apud uos, id, quod is fecisset, contra fœdus factum diceretur, quis audiret? nemo profecto mors enim cum exstinxisset inuidiam, res eius gestæ sempiterni nominis gloria niterentur. Cuius igitur audita uir

uirtus dubitationi locum non daret, huius praesens, exper-
 ta, atque perfecta, obrectatorum uoce laedetur? Omittam
 igitur Pompeium iam oratione mea reliqua: sed uos, iudices,
 animis, ac memoria tenetote. de lege, de federe, de ex-
 plis, de perpetua consuetudine ciuitatis nostrae, renouabo
 ea, quae dicta sunt. nihil enim mihi noui, nihil integri, neque
 M. Crassus, qui totam causam & pro facultate, & pro fide
 sua diligentissime uobis explicauit, neque Cn. Pompeius cuius
 oratio omnibus ornamentis abundauit, ad dicendum
 reliquit. Sed, quoniam, me recusante, placuit ambobus ad-
 hiberi hunc a me quasi perpoliendi quendam operis extre-
 mum laborem: peto a uobis, ut me officij potius, quam di-
 cendi studio hanc suscepisse operam, ac munus putetis. Ac-
 prius, quam aggrediar ad ius, causamque Cornelij, quiddam
 de communi condicione omnium nostrum deprecanda ma-
 leuolentiae causa breuiter commemorandum uidetur. Si
 quo quisque loco nostrum est, iudices, natus, aut si in qua
 fortuna est nascendi initio constitutus, hunc uita statum
 usque ad senectutem obtinere debet, & si omnes, quos aut
 fortuna extulit, aut ipsorum illustrauit labor, & indu-
 stria, poena sunt afficiendi; non grauior L. Cornelio, quam
 multis uiris bonis, atque fortibus constitui lex uita, & con-
 dicio uidetur. Sin autem multorum uirtus, ingenium, hu-
 manitas, ex infimo genere, & fortuna gradu non modo
 amicitias, & rei familiaris copias consecuta est, summam
 laudem, honores, gloriam, dignitatem: non intelligo, cur
 potius inuidia uiolatura uirtutem L. Cornelij, quam aequi-
 tas uestra pudorem eius adiutura uideatur. Itaque quod ma-
 xime petendum est, a uobis idcirco non peto, iudices, ne de
 uestra sapientia, atque de uestra humanitate dubitare ui-
 dear. est autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici-

suis industriae, ne humanitatem opprimendam, ne uirtutem puniendam putetis. illud peto, ut, si causam ipsam per se firmam esse, & stabilem uideritis; hominis ipsius ornamenta adiumento causae potius, quam impedimento esse malitis. Nascitur, iudices, causa Cornelij ex ea lege, quae L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt. qua lege uidemus satis esse * sancti, uti ciues Romani sint ij, quos Cn. Pompeius de consilij sententia sigillatim ciuitate donauerit. Donatum esse L. Cornelium, praesens Pompeius dicit; indicant publicae tabulae: accusator fatetur; sed negat ex foederato populo quemquam potuisse, nisi is * populus fundus factus esset, in hanc ciuitatem uenire. O praclarum interpretem iuris, auctorem antiquitatis, correctorem, atque emendatorem nostrae ciuitatis: qui hanc penam foederibus ascribat, ut omnium praemiorum, beneficiorumque nostrorum expertes faciat foederatos. Quid enim potuit dici imperitius, quam foederatos populos fieri fundos oportere? nam id non magis est proprium foederatorum, quam omnium liberorum. Sed totum hoc, iudices, in ea fuit positum semper ratione, atque sententia, ut, cum iussisset r. r. aliquid, si id ascuissent socij populi, ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tamquam in fundo resedisset; ut tum lege eadem is populus teneretur; non ut de nostro iure aliquid minueretur, sed ut illi populi aut iure eo, quod a nobis esset constitutum, aut reliquo commodo, aut beneficio uterentur. Tulit apud maiores nostros legem C. Furius de testamentis: tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus: innumerabiles aliae leges de civili iure sunt latae: quas Latini uoluerunt, ascuerunt: ipsa denique Iulia, qua lege ciuitas est socijs, & Latinis data, qui fundi populi facti non essent, ciuitatem non haberent

vent. in quo magna contentio Heraclicensium, & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in ijs ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati anteferet. Postremo hac uis est istius & iuris, & uerbi, ut fundi populi beneficio nostro non suo iure fiant. cum aliquid populus Romanus iussit, id si est eiusmodi, ut quibusdam populis sine fœderatis, sine liberis permittendum esse uideatur, ut statuant ipsi, non de nostris, sed de suis rebus, quo iure uti uelint: tum utrum fundi facti sint, an non, querendum esse uideatur. de nostra uero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de uictoria, de salute fundos populos fieri noluerunt. Atqui si imperatoribus nostris, si senatui, si populo Romano non licebit, propositis præmijs, elicere ex ciuitatibus sociorum, atque amicorum, fortissimum, atque optimum quemque ad subeunda pro salute nostra pericula: summa utilitate, ac maximo saepe prasidio in periculis, atq; asperis temporibus carendum erit. Sed, per deos immortales. quæ est ista societas, quæ amicitia, quod fœdus, ut aut nostra ciuitas careat, in suis periculis Massiliensi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino; aut, si quis ex illis populis sit exortus, qui nostros duces * auxilio laboris, commeatus, periculo suo inuerit, qui cum hoste nostro, comminus in acie saepe pugnarit, qui se saepe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit, nulla conditione huius ciuitatis præmijs affici possit? Etenim in populum Romanum graue est, non posse uti socijs excellenti uirtute præditis, qui uelint cum periculis nostris sua communicare: in socios uero ipsos, & in eos, de quibus agimus, fœderatos, iniuriosum, & contumeliosum est, his præmijs, & his honoribus exclusos esse fidelissimos, & coniuuentissimos socios, quæ pateant stipendiarijs, pateant

hostibus, pateant saepe seruis. Nam & stipendiarios ex
 Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris prouincijs multos ciuitate
 donatos uideamus: & , qui hostes ad nostros imperatores
 perfugissent, & magno usui reipublicæ nostræ fuissent,
 scimus ciuitate esse donatos: seruos denique, quorum uis &
 fortuna condicio infima est, bene de repub. meritos per-
 saepe libertate, id est, ciuitate publice donari uidebamus.
 Hanc tu igitur, patrone fœderum, ac fœderatorum, con-
 dicionem statuis Gaditanis tu's ciuibus, ut, quod ijs, quos
 Gaditanis adiutoribus armis subegimus, atque in ditionem
 nostram redegimus, liceat, si populus Romanus permise-
 rit, ut ab senatu, ab imperatoribus nostris, ciuitate donen-
 tur: id ne liceat ipsis? qui, si suis decretis, legibusue sanxis-
 sent, ne quis suorum ciuium castra imperatorum populi
 Romani iniret, ne quis se pro nostro imperio in pericu-
 lum capitis, atq; in uita discrimen * inferret; Gaditanorum
 auxilijs, cum uellemus, uti nobis non liceret: * priuatim
 uero, ne quis uir & animo, & uirtute præcellens pro no-
 stro imperio, periculo suo d'nâcaret, grauius id iure fer-
 remus, minui auxilia populi Romani, debilitari animos
 fortissimorum uiuorum, alienigenarum uos hominum stu-
 dijs, atque externa uirtute priuari. Atqui nihil interest, iu-
 dices, utrum hæc fœderati iura constituant, ut ne cui liceat
 ex his ciuitatibus ad nostrorum bellorū pericula, accedere;
 an quæ nos eorum ciuibus uirtutis causa tribuerimus, ea
 p. 60. rata esse non possint. * nihil enim magis uteremur his adiu-
 toribus, sublatis præmijs uirtutis, quam si omnino his uer-
 sari in nostris bellis non liceret. Etenim, cum pro sua patria
 pauci post genus hominum natum reperti sint, qui, nullis
 præmijs propositis, uitâ suam hostium telis obiecerint: pro
 aliena repub. quemquam fore putatis, qui se opponat peri-
 culis,

culis, non modo nullo proposito premio, sed etiam interdito? Sed cum est illud imperitissime dictum de populi fundis, quod commune liberorum est populorum, non proprium fœderatorum, ex quo intelligi necesse est, aut neminem ex sociis ciuem fieri posse; aut etiam posse ex fœderatis; tum uero ius omne noster iste magister mutandæ ciuitatis ignorat: quod est, iudices, non solum in legibus publicis positum, sed etiam in priuatorum uoluntate. iure enim nostro neque mutare ciuitatem quisquam inuitus potest, neque, si uelit mutare, non potest, modo asciscatur ab ea ciuitate, cuius esse se ciuitatis uelit: ut, si Gaditani sciuerint nominatim de aliquo ciue Romano, ut sit is ciuis Gaditanus, magna potestas sit nostro ciui mutandæ ciuitatis, nec fœderi impediatur, quo minus ex ciue Romano ciuis Gaditanus possit esse. Duarum ciuitatum ciuis esse nostro iure ciuili nemo potest: non esse huius ciuitatis ciuis, qui se alij ciuitati dicarit, potest. Neque solum dicatione, quod in calamitate clarissimis uiris Q. Maximo, C. Lenati, Q. Philippo, Nuceria, C. Catoni Tarraconi, Q. Cepioni, P. Rutilio, Smyrnæ uidimus accidisse, ut earum ciuitatum fierent ciues, hanc ante amittere non potuissent, quam huius solum ciuitatis mutatione uertissent: sed etiam postliminio potest ciuitatis fieri mutatio. neque enim sine causa de Cn. Publicio Menandro, libertino homine, quem apud maiores legati nostri in Græciam proficiscentes interpretem secum habere uoluerunt, ad populum latum, ut iis Publicius, si domum reuertisset, & inde Romam redisset, ne minus ciuis esset. Multi etiam superiore memoria ciues Romani sua uoluntate indemnati, & incolumes, his rebus relictis, alias se in ciuitates contulerunt. Quod si ciui Romano licet esse Gaditanum siue exsilio, siue postliminio, siue reiectione

P.B.

ne huius ciuitatis, ut iam ad fœdus ueniam, quod ad causam nihil pertinet (de ciuitatis enim iure, non de fœderibus disceptamus) quid est, quamobrem ciui Gaditano in hanc ciuitatem uenire non liceat? Equidem longe secus sentio. nam, cum ex omnibus ciuitatibus uia sit in nostram, cumque nostris ciuibus pateat iter ad cæteras ciuitates; tum uero ut quæq; nobiscum maxime societate, amicitia, spon- sione, pactione, fœdere coniuncta est; ita mihi maxime communionem beneficiorum, premiorum, ciuitatis conti- nere uidetur. Atqui cæteræ ciuitates non dubitarent nos- tros omnes recipere in suas ciuitates; si idem nos iuris ha- beremus, quod cæteri: sed nos non possumus & huius esse ciuitatis, & cuiusuis præterea; cæteris concessum est. Ita- que in Græcis ciuitatibus uidemus, Athenis Rhodios, La- cedæmonios, cæteros undique ascribi, multarumque esse eosdem hominis ciuitatum. Quo errore ductos uidi ego- met nonnullos imperitos homines, nostros ciues Athenis in numero iudicum, atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero, cum ignorarent, si illam ciuitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Peritus uero nostri iuris, ac moris nemo umquam, qui hanc ciuitatem retinere uellet, in aliam ciuitatem se dicauit. Sed hic totus locus disputationis, atque orationis meæ, indices, pertinet ad commune ius mutandarum ciuitatum: nihil

P. 61.

habet, quod sit proprium religionis, ac fœderum. Defendo enim rem uniuersam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo Romano od'o quodam, atque dissidio, neque tam fide, beneuolentiaque coniunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut neque ascri- scere ciuem, aut ciuitate donare possimus. O iura præcla- ra, atque diuinitus tam inde a principio Romani nominis

a ma

a maioribus nostris comparata, ne quis nostrū plus, quam unius civitatis esse possit (dissimilitudo enim civitatum varietatem iuris habeat necesse est) ne quis inuitus civitate mutetur, neque in civitate maneat inuitus. Hæc sunt enim fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque iuris & retinendi, & dimittendi esse dominum. illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator huius urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis angeri hanc civitatem oportere, cuius auctoritate, & exemplo nunquam est intermissa a maioribus nostris largitio, & communicatio civitatis. Itaque & ex Latio multi, & Tusculani, & Lanuvini, & ex ceteris generibus gentes univærsæ in civitatem sunt receptæ, ut Sabiorum, Volscorum, Hernicorum: quibus ex civitatibus nec coacti essent civitatem mutare, si qui voluissent: nec, si qui essent civitatem nostram beneficio populi Ro. consecuti, violatum fœdus eorum videretur. At enim quædam fœdera exstant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. quod si exceptio facit, ne liceat: ibi necesse est licere, ubi non est exceptum. Vbi est igitur exceptum sedere Gaditano, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat* civitate nusquam, ac sic ubi esset, lex id Gellia, & Cornelia, quæ definite potestatem Pompeio civitatem donandi dederat, sustulisset. Exceptum est, inquit: fœdus siquidem sacrosanctum est. Ignosco tibi, si neque Penorum iura calles: reliqueras enim civitatem tuam: neque nostras potuisti leges inspicere; ipsa enim te a cognitione sua iudicio publico repulerunt. Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompeio
a Gellio

a Gellio, & a Lentulo C O S S. lata est, in qua aliquid sacrosanctum uideretur? Primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsue sanxisset: deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione & cōsacratione legis, aut pœna, cum caput eius, qui cōtra facit, consecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere eiusmodi? utrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? nihil omnino unquam de isto fœdere ad plebem neque de lege, neque de pœna latum esse dico: de quibus etiam si esset latum, ne quem ciuem reciperemus, tamen id esset, quod populus postea iussisset, ratum: neque quidquam illis uerbis, si quid sacrosanctum esset, esse exceptum uideretur. de his, cum populus Rom. nihil unquam iusserit, quidquam audeas dicere sacrosanctum fuisse? Nec uero hæc oratio mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum, iudices, pertinet. neque enim est meum contra ius optime merita ciuitatis, contra opinionem uetustatis, contra auctoritatem senatus dicere. Duris enim quondam temporibus reipublicæ nostræ, cum præpotens terra, marique Carthago, iuxta duabus Hispanijs, huic imperio immineret, & cum duo* fulmina nostri imperij subito in Hispania Cn. & P. Scipiones extincti occidissent:

P. 62. L. Marcus primipili centurio cum Gaditanis fœdus inisse dicitur. quod cum magis fide illius populi, iustitia uestra, uetustate denique ipsa, quam aliquo publico uinculo religionis teneretur; sapientes homines, & publici iuris periti Gaditani M. Lepido, Q. Catulo C O S S. a senatu de fœdere postulauerunt. tum est cum Gaditanis fœdus uel renouatum, uel iustum, de quo fœdere populus Romanus sententiam non tulit, qui iniussu suo nullo pacto potest religione obligari. Ita Gaditana ciuitas, quod beneficijs suis erga
 temp.

rempub. nostram consequi potuit, quod imperatorum testimonij, quod uetustate, quod Q. Catuli summi uiri auctoritate, quod iudicio senatus, quod fœdere, consecuta est, quod publica religione sanciri potuit, id abest. populus enim se nusquam obligauit. neq; ideo est Gaditanorum causa deterior. grauissimis enim, & plurimis rebus est fulta. sed isti disputationi certe nihil est loci. sacrosanctum enim nihil potest esse, nisi quod per populum plebemue sancitum est. Quod si hoc fœdus, quod populus Romanus auctore senatu, commendatione, & iudicio uetustatis, uoluntate, & sententijs suis comprobatur, idem suffragijs comprobasset; quid erat, cur ex ipso fœdere Gaditanum in ciuitatem nostram recipi non liceret? nihil est enim aliud in fœdere, nisi ut pia, & aeterna pax sit. quid id ad ciuitatem? Adiunctum illud etiam est, quod non est in omnibus fœderibus, MAIESTATEM POPVLI ROMANI COMITER * CONSERVANTO. Id habet hanc uim, ut sit ille in fœdere inferior. Primum, uerbi genus hoc conseruandi, quo magis in legibus, quam in fœderibus uti solemus, imperatius est, non precantis. Deinde, cum alterius populi maiestas P. B. conseruari iubetur, de altero siletur: certe ille populus in superiori condicione, causaq; ponitur, cuius maiestas fœderis sanctione defenditur. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, Comiter esse communiter: quasi uero priscum aliquod, aut insolitum uerbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, suauis, homines esse dicuntur. Qui erranti comiter monstrant uiam benigne, non grauate. Communiter quidem certe non conuenit. & simul absurda res est, cauere fœdere, ut maiestatem populi Romani communiter conseruent: id est, ut populus Romanus suam maiestatem esse saluam uelit. Quod si iam

si iam ita esset, ut esse non potest; tamē de nostra maiestate
 nihil de illorum caueretur. Potestne igitur nostra maiestas
 a Gaditanis benigne conseruari, si ad eam retinendam Ga-
 ditanos præmijs elicere nō possumus? potest esse ulla deniq;
 maiestas, si impedimur, quo minus per populum Romanū
 beneficiorum uirtutis causa tribuendorum potestatem im-
 peratoribus nostris deferamus? Sed quid ego disputo, qua
 mihi tum si Gaditani contra me dicerent, uere posse dici ui-
 derentur? illis enim repetentibus L. Cornelium, responde-
 rem, legem, populum Romanum inuisse de ciuitate tribuē-
 da: * hoc genere legum fundos populos fieri non solere: Cn.
 Pompeiū de consilij sententia ciuitatem huic dedisse: nullū
 populi nostri inssum Gaditanos habere: * itaq; nihil esse sa-
 crosanctum, quod lege exceptum uideretur: si esset, tamen
 in fœdere nihil esse cautum præter pacem. additum etiam
 esse illud, ut maiestatem illi nostram conseruare deberent:
 quæ certe minueretur, si aut adiutoribus illorum ciuibus
 uti in bellis nobis non liceret, aut præmiij tribuendi pote-
 statem nullam haberemus. Nunc uero quid ego contra
 F. 63. Gaditanos loquar? cum id quod defendo, uoluntate eorum,
 auctoritate, legatione ipsa comprobetur? qui a principio
 sui generis, ac reip. ab omni studio, sensuq; Penorum men-
 tes suas ad nostrum imperium, nomenq; flexerunt: quos, cū
 maxima bella nobis inferrētur, mœnibus excluserunt, clas-
 sibus inseguiti sunt, corporibus, copijs, opibus depulerūt: qui
 & ueterem illam speciem fœderis Marciani semper omni
 sanctiorem Marte duxerūt: & hoc fœdere Catuli, senatusq;
 auctoritate se nobiscum coniunctissimos esse arbitrati sunt:
 quorum mœnia, delubra, agros, ut ipse Hercules itinerum,
 ac laborum suorum, sic maiores nostri imperij, ac nominis
 populi Romani terminos esse uoluerūt. Testantur & mor-
 tuos

tuos nostros imperatores; quorum uiuit immortalis memoria, & gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Cassios, Metellos, & hunc presentem Cn. Pompeium, quem procul ab eorum manibus acre, & magnum bellum gerentem commatu, pecuniaque inuenerunt; & hoc tempore ipso populum Romanum, quem in caritate annonæ, ut sepe ante fecerant, frumento suppeditato leuauerunt, se hoc ius esse uelle, ut sibi, & liberis, si qui eximia uirtute fuerint, sit in nostris castris, sit in imperatorum prætorijs, sit denique inter signa, atque in acie locus, sit his gradibus ascensus etiam ad ciuitatem. Quod si Afris, si Sardis, si Hispanis, agris, stipendioque multatis uirtute adipisci licet ciuitatem; Gaditanis autem, officij, uetustate, fide, periculis, sedere cōiunctis, hoc idem non licebit; non fœdus sibi nobiscum, sed iniquissimas leges impositas a nobis esse arbitrabitur. Atque hanc iudices, non a me fingi orationem, sed me dicere, quæ Gaditani iudicauerint, res ipsa declarat. Hospitium multis annis ante hoc tempus, cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice dico. proferam testes, proferam legatos, excitabo laudatores, quos ad hoc iudicium summos homines, ac nobilissimos, deprecatores huius periculi missos uidetis. re denique multo ante Gadibus iam * audita, fore huic, ut ab illo periculum crearetur, grauissima tum in istum ciuem suum Gaditani senatuscōsulta fecerunt. Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri (quonia hoc magnopere delectare uerbo) si tum sit fundus, cum scita, ac iussu nostra sententia cōprobat, quam cum hospitium fecit, ut & ciuitate illum mutatum esse fateretur, & huius ciuitatis honore dignissimum iudicaret? potuit certius interponere iudicium uoluntatis sue, quam cum etiam accusatorem huius multa & poena multauit? potuit magis de re iudicare, quam cum ad uesiram iudicium ciueis

P. B.

neis amplissimos legauit, testes huius iuris, uita laudatores, periculi deprecatores? Etenim quis est tam demens, quin sentiat, ius hoc Gaditanis esse retinendum, ne interceptum sit ijs iter perpetuo ad hoc amplissimum primum ciuitatis, & magnopere iis esse letandum, huius L. Cornelij beneuolentiam erga suos remanere Gadibus; gratiam, & facultatem commendandi in hac ciuitate uersari? Quis enim nostrum est, cui non illa ciuitas sit huius studio, cura, diligentia commendatior? Omitto quantis ornamentis populam istum C. Cæsar, cum esset in Hispania prætor, affecerit, controuersias sedarit, iura ipsorum permissu statuerit, inueteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus, disciplinaque deleuit, summa in eam ciuitatem, huius rogatu, studia, & beneficia contulerit. multa prætereo, quæ quotidie labore huius, & studio, aut omnino, aut certe facilius consequuntur. Itaque & adsunt principes ciuitatis, & defendunt, amore, ut suum ciuem, testimonio, ut nostrum, officio, ut * nobilissimum, & sanctissimum hospitem, studio, ut diligentissimum defensorem commodorum suorum. Ac ne ipsi Gaditani arbitrentur, quamquam nullo incommo do afficiantur, si liceat eorum ciues uirtutis causa in nostram ciuitatem uenire, tamen hoc ipso inferius esse suum fœdus, quam cæterorum: consolabor & hos presentes uiros optimos, & illam fidelissimam, atque amicissimam nobis ciuitatem: simul & uos non ignorantes, iudices, admonebo, quo de iure hoc iudicium constitutum sit, de eo numquam omnino esse dubitatum. Quos igitur prudentissimos interpretes fœderum, quos peritissimos bellici iuris, quos diligentissimos in exquirendis conditionibus ciuitatum, atque causis esse arbitramur eos profecto, qui iam imperia ac bella gesserunt. Etenim si Q. Scauula
ille

ille augur, cum de iure prædatorio consuleretur, homo iuris pertissimus & consultores suos nonnunquam ad Furium, & Cascellium prædatores reijciebat; si nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius, quã C. Aquillium consulebamus, * quod assiduus usus uni rei deditus, & ingenium, & artem sæpe uincit; quis dubitet de fœderibus, & de toto iure pacis, & belli omnibus iuris peritissimis imperatores nostros anteferre? possuntne igitur tibi probare auctorem exempli, atque facti illius, quod a te reprehenditur, C. Marium? quæris aliquem grauiorem? constantiorem? præstantiorem uirtute, prudentia, religione, equitate? Is igitur M. Anniū Appium, fortissimum uirum, summa uirtute præditum, ciuitate donauit, cum Camertinum fœdus sanctissimum, atq; æquissimum sciret esse. Potest igitur, iudices, L. Cornelius condemnari, ut non C. Marij factum condemnetur? Exsistat ergo ille uir parumper ^{P. B.} cogitatione uestra, quoniam re non potest, ut conspiciatis cum mentibus, quem oculis non potestis: dicat, se non imperitum fœderis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuisse: se P. Africani discipulum, ac militem, se stipendijs, se legationibus bellicis eruditum: se, si tanta bella legisset, quanta gessit, & confecit, si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset, omnia uera belli perdiscere, ac nosse potuisse: sibi non fuisse dubium, quin nullo fœdere a rep. bene gerenda impediretur: a se ex coniunctissima, atq; amicissima ciuitate fortissimum quemq; esse delectum: neq; Fulginatum, neque Camertium fœdere esse exceptum, quominus eorum ciuibus a populo Rom. premia uirtutis tribuerentur. Itaq; cum paucis annis post hanc ciuitatis donationem acerrima de ciuitate questio, Licinia, & Mucia lege uenisset; num quis eorum, qui de federatis ciuitatibus

esset ciuitate donatus, in iudicium est uocatus? Nam Spo-
 letinus T. Matrinius unus ex ijs, quos C. Marius ciuitate
 donasset, dixit caussam ex colonia Latina in primis firma,
 & illustri, quem cum disertus homo L. Antistius accusa-
 ret, Spoletinus dixit fundum populum Spoletinum non esse
 factum, uidebat enim populos de suo iure, non de nostro
 fundos fieri solere. sed cum lege Apuleia colonia non essent
 deducta, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in sin-
 gulas colonias ternos ciues Roma. facere posset: negabat
 hoc beneficium, re ipsa sublata, ualere debere. Nihil habet
 similitudinis ista accusatio: sed tamen tanta auctoritas in
 C. Mario fuit, ut non per L. Crassum affinem suum, homi-
 nem incredibili eloquentia, sed paucis ipse uerbis caussam
 illam grauitate sua defenderit, & probauit. Quis enim
 p. 65. esset, iudices, qui imperatoribus nostris in bello, in acie, in
 exercitu delectum uirtutis: qui socijs, qui foederatis, in de-
 fendenda repub. nostra spem praemiorum eripi uellet? Quod
 si uultus C. Marij, si uox, si ille imperatorius ardor oculo-
 rum, si recentes triumphj, si praesens ualuit aspectus: ualeat
 auctoritas, ualeant res gesta, ualeat memoria, ualeat for-
 tissimi, & clarissimi uiri nomen aeternum: sit hoc discrimen
 inter gratiosos ciues, atque fortes, ut illi uiui fruantur opi-
 bus suis: horum etiam mortuorum (si quisquam huius im-
 perij defensor mori potest) uiuat auctoritas immortalis.
 Quid? Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximis
 gestis, P. Cassium equitem Rom. uirum bonum, qui uiuit
 Rauenna, foederato ex populo nomine ciuitate donauit?
 quid? cohortes duas uniuersus Camerium? quid? Hera-
 cliensium legionem, P. Crassus uir ampl. ssumus ex ea ciui-
 tate, qua cum prope singulare foedus Pyrrhi temporibus
 C. Fabricio consule, istum putatur? quid? Massiliensem

Aristonem Sulla? quid? quoniam de Gaditanis agimus,
idem prætor LX. Gaditanos? quid? uir sanctissimus &
summa religione, ac modestia Q. Metellus pius Q. Fabium
Saguntinum? quid? hic qui adest, a quo hæc, quæ ego nunc
percurro, subtilissime sunt omnia perpolita, M. Crassus,
non Aletrinensem fœderatum ciuitate donauit, homo tum
grauitate, & prudentia præstans, tum uel nimium parcus
in largienda ciuitate? Hic tu Cn. Pompeij beneficium, uel
potius iudicium, & factum infirmare conaris, qui fecit
quod Cn. Marium fecisse audierat, fecit quod P. Crassum,
quod L. Sullam, quod Q. Metellum, quod denique dome-
sticum auctorem, patrem suum facere uiderat? neq; uero
in uno Cornelio id fecit. nam & Gaditanum Hasdrubalem
ex bello illo Africano, & Mamertinos * obuios, & quos-
dam Vicensis, & Saguntinos fabros ciuitate donauit. Ete-
nim cum ceteris præmijs digni sunt, qui suo labore, & pe-
riculo nostram rempubl. defendunt; tum certe dignissimi
sunt, qui ciuitate ea donentur, pro qua pericula, ac tela
subierunt. Atque utinam, qui ubique sunt propugnatores
huius imperij, possent in hanc ciuitatem uenire: & contra,
oppugnatores reipubl. de ciuitate exterminari. Neq; enim
ille summus poeta noster Hannibalis illam magis coher-
tationem, quam communem imperatorum uoluit esse.
Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, Quisquis
erit, cuiati fiet. id habent omnes leue, & semper habue-
runt. * Itaque & sibi undique fortes uiris adscinerunt, &
hominum ignobilium uirtutem per sepe nobilitatis inertia
prætulerunt. Habetis imperatorum summorum, & sa-
pientissimorum hominum, clarissimorum uirorum inter-
pretationem iuris, ac fœderum: dabo etiam iudicium, qui
huic questionem præfuerunt: dabo uniuersi populi Romani,
kkk 2 dabo

dabo sanctissimum etiam iudicium senatus. Iudices cum
 pra se ferrent, palamque loquerentur, quid essent lege
 Papia de M. * Crasso, Mamertinis repentibus, iudicatu-
 ri: Mamertini, publice suscepta causa, desiterunt. multi
 in ciuitatem recepti ex liberis, foederatisq; populis; nemo
 umquam est de ciuitate accusatus, quod aut populus fun-
 dus factus non esset, aut quod foedere ciuitatis mutada ius
 impediretur. audebo etiam hoc contendere, numquam esse
 condemnatum, quem constaret ab imperatore nostro ciui-
 tate donatum. Cognoscite nunc populi Romani iudicium
 p. 66. multis rebus interpositum, atq; in maximis causis, re ipsa
 atq; usu comprobatum. Cum Latinis omnibus foedus icium
 Sp. Cassio, Postumio Cominio. C O S S. quis ignorat? quod
 quidem nuper in columna aenea meminimus post rostra
 incisum, & perscriptum fuisse. quomodo igitur L. Cossin-
 ius Tiburs, pater huius equitis Rom. optimi, atq; ornatissi-
 mi uiri damnato Caelio; quomodo ex eadem ciuitate T.
 Coponius, cuius item summa uirtute, & dignitate (nepotes
 T. & C. Coponios nostris) damnato C. Massone, cuius Ro-
 manus est factus? an lingua, & ingenio patefieri aditus ad
 ciuitatem potuit, manu, & uirtute non potuit? anne de no-
 bis trahere spolia foederatis licebit, de hostibus non lice-
 bit? an quod adipisci poterunt dicendo, id eis assequi pu-
 gnando non licebit? an accusatori maiores nostri maiora
 praemia, quam bellatori esse uoluerunt? Quod si acerbissi-
 ma lege Seruilia principes uiri, ac grauissimi, & sapien-
 tissimi ciues, hanc Latinis, id est foederatis, uiam ad ciui-
 tatem populi in usu patere passi sunt; neq; in his est hoc re-
 prehensum Licinia, & Mucia lege, cum praesertim genus
 ipsum accusationis, & nomen, eiusmodi praemium, quod
 nemo assequi possit, nisi ex senatoris calamitate, neq; sena-
 tori

yori, neq; bono cuiquam nimis iucundum esse posset: dubi-
 tandum fuit, quin, quo in genere iudiciorum premia rata
 essent, in eodem iudicia imperatorum ualerent? Num fundos
 igitur factos populos Latinos arbitramur aut Seruilia
 lege, aut ceteris, quibus Latinis hominibus erat propo-
 situm aliqua ex re premium ciuitatis? Cognoscite nunc iu-
 dicium senatus, quod semper est iudicio populi comproba-
 tum. Sacra Cereris, iudices, summa maiores nostri reli-
 gione confici, caremoniaque uoluerunt: quæ cum essent as-
 sumpta de Græcia; & per Græcas semper curata sunt sa- P. B.
 cerdotes, & Græca omnia nominata: sed, cum illam, quæ
 Græcum illud sacrum monstraret, & faceret ex Græcia
 deligerent; tamen sacra pro ciuibus ciuem facere uolue-
 runt; ut deos immortales scientia peregrina, & externa;
 mente domestica, & ciuili * precarentur. has sacerdotes
 uideo fere aut Neapolitanas, aut Velientes fuisse, fædera-
 tarum sine dubio ciuitatum. mitto uetera: proxima dico.
 ante ciuitatem Veliensibus datam, de senatus sententia C.
 Valerium Flaccum prætorem urbanum nominatim ad po-
 pulum de Calliphana Veliese, ut ea ciuis Romana esset,
 tulisse. num igitur aut fundos factos Velientes, aut sacer-
 dotem illam ciuem Roma factam non esse, aut fædus & a
 senatu, & a populo Rom. uiolatum arbitrabimur? Intel-
 ligo, iudices, in causa aperta, minimeq; dubia, multa &
 plura, & a pluribus peritissimis esse dicta, quam res postu-
 laret: sed id factum est, non ut uobis rem tam perspicuam
 dicendo probaremus, uerum ut omnium maleuolorum, ini-
 quorum, inuidorum animos frangeremus: quos ut accusa-
 tor incenderet, ut aliqui sermones hominum alienis bonis
 merentium etiam ad uestras aures permanerent, & in iu-
 dicio ipso redundarent, idcirco illa in omni parte oratio-

nis summa arte aspergi uidebatur: tum pecuniam L. Cornelij, quæ neq; inuidiosa est, & quanta cumq; est eiusmodi est, ut conseruata magis, quam corrupta esse uideatur: tum luxuriam, quæ non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur: tum Tusculanum, quod Q. Metelli fuisse meminerat, & L. Crassi; Crassum emisse de liberino homine Soterico Marcio, ad Metellum peruenisse de Venonij Vindicij bonis non tenebat, simul illud nesciebat, prædiorum nullam esse gentem: emptionibus ea solere saepe ad
 p. 67. alienos homines, saepe ad infimos, non legibus, tamquam tutelas peruenire. Obiectum est etiam, quod in tribum Crustumiam perueniret: quod hic affectus est legis de ambitu præmio minus inuidioso, quam, qui legum præmijs prætoriam sententiam, & prætextam togam consequuntur. Et adoptio Theophamis agitata est; per quam Cornelius nihil est, præterquam propinquorum suorum hereditates, affectus. quamquam istorum animos, qui ipsi Cornelio inuident; non est difficillimum mitigare: more hominum inuident; in conuiuijs rodunt, in circulis uellicant; non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt, qui amicis L. Cornelij aut inimici sunt, aut inuident, hi sunt huic multo uehementius peritimescendi. nam huic quidem ipsi quis est unquam inuentus inimicus? aut quis iure esse potuit? quæ bonum non coluit? cuius fortuna, dignitatq; non concessit? uersatus in intima familiaritate hominis potentissimi, in maximis nostris malis, atq; discordijs neminem unquam alterius rationis, ac partis non re, non uerbo, non multu deniq; offendit. fuit hoc siue meum, siue recip. fatum ut in me omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. non modo non exsultauit in ruinis uestris, nostrisq; discordijs Cornelius, sed omni officio, lacrymis, opera, consolatione,

ratione, omnes, me absente, meos subleuauit. quorum ego te-
 stimonio, ac precibus, munus hoc meritum huic, & ut a
 principio dixi, iustam, & debitam gratiam refero: speroq;
 iudices, ut eos, qui principes fuerunt conseruanda salutis,
 aut dignitatis meae, diligitis, & caros habetis; sic, quae ab
 hoc pro facultate huius, pro loco facta sunt, & grata esse
 uobis, & probata. Non igitur a suis, quos nullos habet, sed
 a suorū, qui & multi, & potentes sunt, uiget inimicis.
 quos quidem hesternū die Cn. Pompeius copiosa oratione, P.B.
 & graui secum, si uellent, contendere iubebat: ab hoc im-
 probō certamine, acq; iniusta cōtentione auocabat. Et erat
 aequa lex, & nobis, iudices, atq; omnibus, qui nostris fami-
 liaritatibus implicantur, uehementer utilis, ut nostras ini-
 micitias ipsi inter nos geramus, amicis nostrorum inimi-
 corum temperemus. Ac, si mea auctoritas satis apud illos
 in hac re ponderis haberet, cum me praesertim rerum ua-
 rietate, atq; usu ipso iam perdoctum uiderent, etiam ab il-
 lis eos maioribus discordijs auocarem. Id enim contendere
 mihi uidetur e re pub. cum id defendas, quod esse optimum
 sentias; & id fortium uirorum, & magnorum hominum
 semper putauit: neque huic unquam labori, officio, muneri
 defui. sed contentio tamdiu sapiens est, quamdiu aut profi-
 cit aliquid, aut, si non proficit, non obest ciuitati. Voluimus
 quaedam, contendimus, experti sumus: obtenta non sunt: do-
 lorem alij, nos luctum, maeroremq; suscepimus. cur ea, quae
 mutare non possumus, conuellere malimus, quam tueri?
 C. Caesarem senatus, & genere supplicationem amplissi-
 mo ornauit, & numero dierum nouo. Idem in angustijs
 ararū uictorem exercitum stipendio affecit, imperatori
 decem legatos decreuit, lege Semproniam succedendum non
 consuit. Harum ego sententiarum & princeps, & auctor
 fui

P. 68.

fui: neque me dissensionem meam pristinae putavi potius assentiri, quam presentibus reipublicae temporibus, & concordiae convenire. Non idem alijs videtur. sunt fortasse in sententia firmiores; reprehendo neminem: sed assentior non omnibus: neque esse inconstantis puto, sententiam aliquam, tamquam aliquod navigium, atque cursum ex reipublicae tempestate moderari. Sed, si qui sunt, quibus infinitum sit odium, in quos semel susceptum sit, quos video esse nonnullos: cum ducibus ipsis, non cum comitatu, assessoribusque confligant. Illam enim fortasse pertinaciam nonnulli, virtutem alij putabunt: hanc vero iniquitatem omnes cum aliqua crudelitate coniunctam. Sed, si certorum hominum mentes nulla ratione placare possumus, iudices, uestros quidem animos certe confidimus non oratione nostra, sed humanitate uestra esse placatos. Quid enim est, cur non potius ad summam laudem huic, quam ad minimam fraudem Caesaris familiaritas valere debeat? cognovit adolescens: placuit homini prudentissimo: in summa amicorum copia cum familiarissimis eius est adaequatus: in praetura, in consulatu praefectum fabrum detulit: consilium hominis probavit, fidem est complexus, officia, observantiamque dilexit. fuit hic multorum illi laborum socius aliquando; est fortasse nunc nonnullorum particeps commodorum. quae quidem si huic obfuerint apud nos, non intelligo quod bonum cuiquam sit apud tales viros profuturum. Sed, quoniam C. Caesar abest longissime, atque in ijs est nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius gestis imperium populi Romani definiunt: nolite per deos immortales, iudices, hunc illi acerbum nuntium velle deferri, ut suum praefectum fabrum, ut hominem sibi carissimum, & familiarissimum, non ob ipsius aliquod delictum, sed ob suam familiaritatem uestri

oppres

oppressum sententijs audiat. Misere mini eius, qui non de suo peccato, sed de huius summi, & clarissimi uiri facto; non de aliquo crimine, sed de periculo suo, de publico iure disceptat: quod ius si Cn. Pompeius ignorauit, si M. Crassus, si Q. Metellus, si Cn. Pompeius pater, si L. Sulla, si L. Crassus, si C. Marius, si senatus, si popul. Romanus, si qui de re simili iudicarunt, si fœderati populi, si socij, si illi antiqui Latini: uidete, ne utilius uobis, & honestius sit, illis ducibus errare, quam, hoc magistro, erudiri. Sed, si de certo, de perspicuo, de utili; probato, de iudicato uobis iure esse constituendum uidetis; nolite committere, ut in re tam inueterata quidquam noui sententiatis. Simul & illa, iudices, omnia ante oculos uestros proponite: primum esse omnes etiam post mortem reos, clarissimos, illos uiros, qui fœderatos ciuitate donarunt: deinde senatum, qui persæpe hoc iudicauit: populum, qui iussit: iudices, qui approbarunt. tum etiam illud cogitatote, sic uiuere, ac uixisse Cornelium, ut cum omnium peccatorum quæstiones sint, non de uitiorum suorum pœna, sed de uirtutis præmio in iudicium uocetur. Accedat etiam illud, ut statuatis hoc iudicio, utrum posthac amicitias clarorum uirorum calamitati hominibus, an ornamento esse malitis. Postremo illud, iudices, fixum in animis uestris tenetote, uos in hac causa non de maleficio L. Cornelij, sed de beneficio Cn. Pompeij indicaturos.

**

kkk s DE